

qui contractus praesertim onerosos ineundi sint capaces. Prima excludens ab ea capacitate saltem per se omnes, qui usu rationis carent, ut infantes, amentes, furiosi, ebrii. Nequeunt enim hi deliberate vel saltem sufficienter deliberate in rem gravem, ut est contractus, consentire. Adde eos, qui specialiter legibus interduntur, uti sunt prodigi. Secunda includens, nempe omnes eos posse contrahere, qui sui compotes liberam administrationem habeant rerum suarum, de quibus proinde prout licuerit et libuerit pacisci poterunt. Difficultas tamen aliqua oritur pro his personis, quae ab aliis dependent ut sunt uxores, filiifamilias, pupilli et minores. Pro uxoribus et filiifamilias attendendum est ad diversa genera bonorum quae ipsorum sunt, et si per leges liberam habent eorum administrationem poterunt juxta secundam regulam de illis contrahere.

Pro pupillis et minoribus utile erit notare. Impuberes dici qui necdum expleverunt annum pubertatis, nempe decimum quartum si mares sint, duodecimum si feminae. Pueri attingentes decimum et dimidium et puellae nonum et dimidium dicuntur infantiae proximi e contra pubertati proximi qui sunt supra praedictam aetatem et infra pubertatem. Praesumitur in eis capacitas doli et malitiae. Sunt pupilli impuberes qui desierunt esse sub patria potestate, sive emancipatione, sive parentis morte. Minores jure communi appellantur qui nondum expleverunt annum vigesimum quintum, majores, qui illum superant: Pupillo datur tutor, minori vero datur curator (1).

4.º Disputatur an pupillus ex contractu sine tutoris sui auctoritate inito, si non sit factus ditior, nec usus dolo, et similiter de minore contrahente sine curatore an obligentur naturaliter? Affirmant plures (2); negantibus aliis (3). Utraque sententia est probabilis et in praxi tuta; quare confessarii nec pupillum debent obligare ad solutionem, nisi quatenus factus est ditior, nec alterum contrahentem ad restitutionem pretii a pupillo soluti priusquam judicis aut saltem tutoris auctoritate fiat repetitio; nisi immobilia aut mobilia pretiosa acceperit, quorum alienationi efficacius resistunt jura statutaria, ut non possit valide fieri absque decreto judicis (4).

THESIS XIV.

Accipere usuras vi mutui illicitum est jure divino et naturali (5).

96. Nota. I. Antequam ejus definitio tradatur juvat contra paucos ex modernis, qui, dissentientes a communi consensu DD. anti-

(1) Novis. cod. hisp. a. 320. «La mayor edad empieza á los veintitres años »cumplidos.» Aliquando anno decimo octavo expleto. v. aa. 314-324.—(2) Lessius L. 2, c. 17, n. 61; Lugo D. 22; Molina, etc.—(3) Covarrubias, Soto, etc.—(4) Platelli. De just. et jur. n. 593; V. a. 2011, ley de enjuiciam. civ.—(5) D. Thomas 2, 2, Q. 78, aa. 1, 2.

quorum, dicunt addendum esse antiquae et probatae definitioni mutui adverbium *gratuito*. praeludium Cardinalis de Lugo (1) transcribere: «Veniamus jam ad contractus onerosos, qui »magis proprie contractus sunt, et magis spectant ad Theologos, »et incipiamus a mutuo, tum quia magis simplex contractus est; »tum quia cum eo conjungitur necessario tractatio de usura, cujus »notitia necessaria est omnino, ad omnes contractus sequentes, »cum plerumque omnes fere difficultates oriuntur ex eo quod periculum sit, ne aliqua usura admixta sit.»

Contractus mutui ita dictus, quia ex meo tuum fit, definitur (2): «Traditio alteri rei pondere, numero vel mensura constantis, eo »animo facta, ut statim fiat accipientis, cum obligatione ut alia »ejusdem speciei ac bonitatis postea reddatur (3).» Dicitur *rei traditio*, quia hic contractus re perficitur. *Rei pondere*, etc., quia hae solae res sunt materia mutui, quae functionem in suo genere recipiunt i. e. quae in eodem genere sunt ita perfecte similes, ut in commutationibus et solutionibus una, alterius vice fungi possit, ut vinum, triticum, pecunia. *Ut statim fiat accipientis*, quia mutuator transfert rei dominium et per hoc distinguitur a commutato. *Cum obligatione*, ut excludatur donatio. *Alia*, quia vi mutui non debet reddi eadem numero. *Ejusdem speciei*, etc., scilicet moraliter non physice. *Postea*, quia si sit obligatio statim reddendi, erit simplex permutatio non mutuuum. Hinc jam elucet obligationes mutuatoris esse: a) tradere rem liberam a vitio occulto: b) Rem ante tempus praefixum non repetere, quod si hoc non praefigatur, non ante tempus viri prudentis arbitrio necessarium ad utilitatem mutuatarum; numquam vero potest repetere statim quia esset illusorie agere. Obligationes vero mutuatarum sunt: a) Statim reddere, ubi tempus praefixum advenerit, aut si nullum sit praefixum; cum mutuator juxta boni viri arbitrium rationabiliter petit. b) Sustinere omnem casum fortuitum, cum statim acquirat rei dominium cum onere tantumdem reddendi. c) Restitutionem facere eo loco, unde mutuator non patitur grave damnum, non tamen certo loco nisi de eo conventum fuerit. Unde colliges, nudum mutuuum onus et non leve utrique parti contrahenti imponere, quare immerito aliqui moderni ab avita antiquorum sententia recesserunt et contra rei veritatem et communem sensum contractum gratuitum facere praesumpserunt.

II. Usura latissimo sensu significat incrementum proveniens ex usu cujusque rei. Lato sensu accipitur pro lucro accepto ex mutuo

(1) D. 25, De mutuo et usura.—(2) Cum Platelli. De just. et jur. a n. 622.—(3) Institut. § 1. Quibus modis contrahitur obligatio; Leg. *Mutuuum*, 2, ff. si certum petatur.

sive cum titulo. Stricto sensu pro lucro percepto ex mutuo *vi mutui* i. e. praecisse ratione mutui et dicitur usura lucratoria. Sumpta pro re definiri poterit (1): Lucrum ex mutuo, i. e. aliquid temporale pretio aestimabile, quod supra sortem seu summam mutuo datam recipitur tamquam ex justitia debitum praecise ratione mutui. Sumpta pro contractu est mutuatio cum pacto accipiendi supra sortem praecise ratione mutui. Usura est *realis* vel *externa*, in qua mutuator verbis seu aliis signis externis clare vel obscure mutuatorio declarat voluntatem aliquod lucrum accipiendi praecise ratione mutui. *Mentalis* non quia in actum externum non prodeat, sed quia fit sine pacto externo, qui dat tamen mutuum eo animo dat, ut lucrum tamquam ex justitia debitum recipiat. *Aperta* est cum accipitur ratione mutui formalis, *palliat* vero cum aliquid accipitur ratione mutui virtualis in altero contractu implicito et velut ejus pallio tecti, ut si vendas carius praecise ob dilationem pretii.

III. Thesis habet duas partes; quoad primam jure divino tam Dei quam Ecclesiae positivo est de fide; quoad secundam est communissima DD. contra Molinaeum, Abulensem, quorum sententiam Bannez vocat haeticam, Salas temerariam et errori proximam. Est etiam partim contra Joan. Medina (2); Petrum Ledesma (3) et nonnullos alios, dicentes pro obligatione non repetendi mutuum, intrinseca mutuo, licere aliquid non *vi mutui* ut ipsi ajunt, sed pro *opere*, quod haec obligatio secum fert. exigere. Horum sententia dicitur a Molina (4): «opinio periculosa in fide, ne quid amplius dicam»... A Lugo (5): «Alii tamen communiter hoc omnino reprobant... et mihi quidem falsissima videtur illa sententia.»

97. Prob. 1.^o Ex Conciliis. Viennense (6), gener. XV, decrevit: «Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut haeticum esse puniendum.» Lateranense II, gener. X: «Porro detestabilem et probrosam, divinis et humanis legibus per Scripturam in Veteri et Novo Testamento abdicatam, illam inquam, insatiabilem foeneratorum rapacitatem damnamus.»

2.^o Ex Scriptura, Exod. (7). *Si pecuniam mutuum dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Ezechi. (8). *Et vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam;... ad usuram non commodaverit et*

(1) Cum Platelli. De just. et jur. n. 626.—(2) C. de Praestitut. q. 32.—(3) Summ. P. 2, tr. 8, c. 35, concl. 4.—(4) Dis. p. 308, n. 10.—(5) D. 25, n. 17.—(6) C. ex gravi. Clement. l. 5, tit. 5.—(7) XXI, 25.—(8) VI, 35.

amplius non acceperit;... hic justus est, vita vivet, ait Dominus Deus. Quod si genuerit filium... ad usuram dantem et amplius accipientem; numquid vivet? Non vivet. Apud Lucam (2): *Mutuum date nihil inde sperantes.* Ex quibus et aliis locis ita arguitur: In hujusmodi testimoniis asseritur generaliter iniquum esse accipere usuras, et justum eas non exigere. Sed agere id quod aufert justitiam et reddit iniquum est illicitum. Ergo... Confr. *maj.* cum D. Thoma (1) quia si non esset generaliter et ex se malum accipere usuras, non intelligitur, cur non permetteretur judaeis usuras saltem moderatas ab aliis judaeis accipere.

3.^o Ex Patribus; S. Hieronymus (2): «Putant quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod praevidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti.» S. Gregorius Nys. (3) dicit usurarios esse latrones; rationem dat. «Animalibus dixit Deus: crescite et multiplicamini: auri autem foetus, nempe foenus, ex quonam consistit matrimonio? ex quanam perficitur conceptione? Caeterum ex Propheta didici quatenam sit hujus foetus conceptio (4). *Ecce parturit injustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem.* Hic est ille partus quem parturit quidem avaritia, parit autem iniquitas et obstetricatur inhumanitas.»

4.^o Auctoritate Benedicti XIV, Encyclica *Vix pervenit* an. 1745 quam respicere Ecclesiam universalem non tantum Italiam constat ex responsione data a S. R. et universali Inquisitione a Gregorio XVI (5) approbata: «Orator se gerat juxta doctrinam contentam in Encyclica Benedicti XIV *Vix pervenit* quae respicit universalem Ecclesiam.» Verba Encyclicae (6) sunt «Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod *suapte natura* tantumdem dumtaxat reddi postulat quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est.»

5.^o Ratione, qua simul illiceitas ex jure naturae probatur: a) Cum D. Thoma (7) ita: Vendere quod non est vel vendere bis unam eandemque rem injustum est ac proinde illicitum. Sed qui accipit usuras *vi mutui*, vel vendit quod non est, vel bis unam eandemque rem vendit. Ergo... *Min. prob.* In rebus fungibilibus quae mutuo dantur valor usus rei non distinguitur a valore ipsius rei.

(1) 2, 2, Q. 78, a. 1 ad 2.—(2) In Ezechi. c. 18, l. 6.—(3) *Homil. in Eccl. 4.*—(4) Ps. VII.—(5) Fer. IV, Dis. 29, Jul. 1836.—(6) § 3, n. 1.—(7) 2, 2, Q. 78, a. 1.

Sed qui exigit usuras vi solius mutui, ultra sortem. quae est valor rei, accipit auctarium *pro usu*, qui *non est valoris distincti a sorte* vel *pro sorte*, cui per redditionem aequalem sorti satisfactum erat. Ergo vel vendit valorem qui non est, vel bis vendit in sorte et ultra sortem usum. Prob. *Maj.* Usus rerum fungibilium est ipsarum rerum consumptio; sicut vinum consuminus eo utendo ad potum, et triticum consuminus eo utendo ad cibum, et pecuniam eam distrahendo secundum quod in commutationibus expenditur. Sed in talibus tantum valet usus quantum res. Ergo... *Min.* prob. Consumptio rei aequivalet alienationi, destructioni rei, unde per mutuum transfertur dominium. Sed pro alienatione, destructione rei, per se tantum reddi debet quantum valet res alienata vel destructa. Ergo...

b) Cum Lugone (1) et magis communiter cum aliis doctoribus ita praeoccupando difficultates: Contra justitiam est in rei unius commutatione pro alia plus exigere quam res valeat; nisi alius titulus intercedat, ratione cujus illud amplius juste accipiatur. Sed qui accipit usuras tantum vi mutui, plus exigit quam res valet sine ullo titulo. Ergo. *Min.* quoad primam partem prob. nempe plus exigit: quia si dedisti decem et accipis decem jam accipis quantum valebat id, quod dedisti; si ergo accipis duodecim accipis supra valorem dati. Quoad secundam partem *sine titulo* ita: Hic titulus esset vel commoditas quam mutuarius accipit ex mutuo, vel gratuita voluntas mutuandi cum posses non mutuare. vel usus pecuniae, vel obligatio mutuatoris carendi sorte et eam non repetendi statim vi cujus renuntiat lucro saltem possibili ex illa pecunia. Sed nullus ex iis titulis valet. Ergo...

Non commoditas mutuarii. Quia commoditas alterius contraheantis non debet augere pretium, ut si vendis rem valentem tantum decem non potes petere duodecim propter commoditatem specialem quam emptori affert, vel propter necessitatem quam rei illius habet.

Non gratuita voluntas mutuandi. Ex propositione 42 damnata ab Innocentio XI (2) «Usura non est, dum ultra sortem aliquid »exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum; sed »solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.» Et quia voluntas mutuandi non est pretio aestimabilis, sicut neque voluntas vendendi talis est.

Non usus, ut jam declaratum est in argumento D. Thomae et nunc amplius confirmatur: Nemo debet aliquid pro usu rei suae. Sed sors credita fit mutuarii. Ergo iste nihil debet dare

(1) D. 25, a. n. 10. - (2) 2 Mart. 1679.

pro usu sortis. *Maj.* videtur evidens et innegabilis, cum in omni translatione dominii pleni una cum ipso dominio tradatur plenum jus utendi, quin propter jus utendi valor rei augeatur vel seorsum computetur; *minor* vero est de essentia omnis mutui. Ergo...

Non obligatio non repetendi, etc. Nam Innocentius XI (1) damnavit hanc propositionem n. 41: «Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam praesentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra »sortem a mutuuario exigere, et eo titulo ab usura excusari.» Alexander VII (2) confixit hanc aliam n. 42: «Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.» Praeterea obligatio non repetendi adeoque carendi sua pecunia et facultate ex illa lucrandi ad certum tempus, sufficienter compensatur ad aequalitatem per redditionem sortis cum facultate eam utendi in perpetuum. Ergo nihil ultra sortem dari debet. *Antec.* prob. Uti pecunia reddita aequivalet pecuniae antea datae, ita facultas lucrandi ex pecunia reddita aequivalet facultati lucrandi ex pecunia antea data. Ergo... Confir. a) In re vendibili, sive mobili, sive immobili, facultas eam utendi in perpetuum, caeteris paribus, tantum aestimatur et valet hoc anno. quantum aestimabatur anno superiori, aut a decem annis; alioquin enim valor rerum quotidie decresceret; eo quod facultas utendi ac fructus percipiendi in perpetuum, incipiens hodie non includat facultatem utendi heri, quam includeret incipiens heri. b) Etiam apud Deum verisimum et aequissimum iudicem, quippe qui pares in merito aut demerito, pari praemio aut supplicio in perpetuum afficit, facultas utendi re aliqua in perpetuum est ejusdem aestimabilitatis quandocumque incipiat sive citius sive serius; siquidem sive homines moriantur initio mundi, sive in fine, sic ut multo citius incepturi sint sentire praemii commodum aut incommodum supplicii, unicuique tamen dat tantum quantum propria merita vel demerita exigunt (3).

(1) Ibid. - (2) 18 Mart. 1666. - (3) Non diffitendum tamen cum Lugone (D. 25, n. 9) desumi «praecipuum fundamentum ex definitionibus Conciliorum, et »Pontificum, qui id probant ex testimoniis Scripturae, praesertim veteris Testamenti, unde constat hoc esse contra jus naturae; alioquin inepte probaretur ex »veteri Testamento, cum praecepta positiva, quae non sunt de jure naturae, »cessaverint in novo Testamento, in quo Christus non tradidit fere praecepta, »nisi de Sacramentis.» Aliunde reddere rationem plene convincentem non est facile, cum usurae turpitudine latuerit (Lugo D. 25, n. 11) «sapientissimos illos »Jurisconsultos Romanos, qui usuras in moderata summa licitas censuerunt et pro »solutis repetendis actionem negarunt. Et quidem quamvis ratio adducta bene »probet pro usu, qui necessario debetur perfecto domino, non posse aliquid exigi »supra valorem ipsius rei; adhuc tamen difficile satis est, cur non possit mutuans

Totum argumentum in substantia confirmatur auctoritate Benedicti XIV decernentis (1): «Neque vero ad istam labem purgandam ullum accersiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens et nimium sed moderatum, non magnum sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causam mutui deponitur, non pauper sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam sed ad fortunas suas amplificandas vel novis coemendis praediis vel quaestuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille vincitur, quisquis, eadem aequalitate semel posita, plus aliquid a quolibet vi mutui ipsius, cui per aequale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proinde, si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione justitiae, quam commutativam appellant, et cujus est in humanis contractibus aequalitatem cujusque propriam et sancte servare et non servatam exacte reparare (2).»

98. Obj. 1.º Cum D. Thoma (l. c.) «Nullus enim peccat ex hoc quod sequitur exemplum Christi. Sed Dominus de se ipso dicit (Luc. XIX, 23): *Ego veniens cum usuris exegissem illam*, scilicet pecuniam mutuam. Ergo non est peccatum accipere usuram pro mutuo pecuniae.»

Resp. Conc. *Maj.*; *min.* dist. Cum usuris methaphorice ibi sum-

«aliquid exigere pro obligatione, qua se obligat ad non exigendum debitum intra annum v. g. cum aliqui etiam recentiores hoc licitum esse concesserint; quod tamen si semel concedatur, omnis usura eo titulo justificari poterit.» Quare ratio «communis nisi effugium illud praecludatur inefficax omnino est, et totum hoc ad quaestionem de nomine reducitur, cum tamen in re ipsa id totum, quod usurarii intendunt, licitum reddatur de jure naturae.» Effugium occludit ipse Lugo ultima ratione a nobis proposita.

(1) Encycl. *Vix pervenit*. De usura. — (2) Ex productis SS. Pontificum et theologorum rationibus resultat eos in hoc unum convenire, usuras vi solius mutui esse illicitas, quia si praeter sortem auctarium accipiatur non servatur aequalitas inter datum et acceptum, non ut recentiores aliqui excogitarunt, quia contractus mutui sit naturam suam omnimode gratuitus, cui sicut donationi repugnet aliquod pactum onerosum adjicere; adde, novissimam rationem esse inefficacem et plane inutilem ad intrinsecam, detestabilem et exitialem usurae malitiam non modo persuadendam nedum aperiendam; quilibet enim usurarius poterit praetextere, se noluisse facere contractum mere gratuitum, (imo cum mutuator intendat tantum lucrari quantum licite possit, hoc praesumendum est), sed alium, quomodocumque voces, contractum sibi utiliore in quo tantum accipiat quantum dedit. Poterit et ipsis pauperibus ita mutuare dummodo redditionem sortis et auctarii solutionem contra leges charitatis non urgeat, non secus ac ille, qui pauperibus in necessitate positus alimenta non dat sed vendit ut pretium quando commode possint solvant.

ptis pro superexcrecentia bonorum spiritualium, quam exigit Deus, volens ut in bonis ab eo acceptis semper proficiamus; conc. aliter, neg. Sic enim alibi D. N. Jesus-Christus (1) laudavit villicum iniquitatis, ut doceret nos esse sollicitos bonorum aeternorum.

Obj. 2.º Usura in lege divina (Deuter. XXII, 19) conceditur, «et quod plus est etiam in praemium repromittitur pro lege servata» (Deuter. XXVIII, 12). Ergo accipere usuram non est peccatum.» D. Thomas ibid.

Resp. Dist. *antec.* Promittitur, conceditur aliqua usura absolute; neg. respective nimirum respectu hostium, quorum bona licet diripere, vel respectu infidelium, quorum bona Deus supremus omnium Dominus in judaeos transtulerat; conc.

Obj. 3.º Jus civile Romanum (2), quod approbat usuras modo sint moderatae et cogit ad earum solutionem. Ergo.

Resp. Concedit usuras percipere permissive, ad vitanda majora mala; conc. Etiam juste subdist. Si adsit alius titulus v. g. lucri cessantis; conc. Sola vi mutui; neg. Hoc in casu jus civile tamquam repugnans juri divino et naturali, corrigitur a Canonico. S. Chrysostomus (3): «Non mihi externas leges objicias; publicanus enim legem illam exteriorem servat, tamen dat poenas.» An sola lex sufficiat ad justum titulum patebit ex iis quae dicere habemus de titulo legali.

Obj. 4.º Inter consilia Luc. VI ponitur: *Dare mutuum nihil inde sperantes*. Ergo accipere usuram non est peccatum. D. Thomas ibid.

Resp. Dist. *antec.* Inter consilia, etc., ponitur dare mutuum ut est dare; conc. ut est lucrari ex mutuo vi mutui; neg.

Obj. 5.º «Argentum monetatum, et in vasa formatum, non differt specie. Sed licet accipere pretium pro vasis argenteis accommodatis. Ergo etiam licet accipere pretium pro mutuo argenti monetati. Usura ergo non est secundum se peccatum.» D. Thomas ibid.

Resp. Dist. *Maj.* Quoad naturam; conc. quoad usum; neg. Nummi moraliter usu consumuntur, non autem vasa. Ad *min.* Licet, etc... si utantur usu proprio; conc. Si utantur pro commutationibus ut pecunia, neg.

Inst. Ergo pro pecunia concessa ad solam ostentationem licebit aliquid exigere. Sed si hoc licet, a fortiori licebit pro mutuata, cum in mutuo concedatur omnis usus pecuniae in locatione tantum partialis. Ergo.

(1) Luc. XVI, 8.—(2) In ff. et cod. de usuris.—(3) In Matth. homil. 56.

Resp. Conc. sequel. seu *maj.* et neg. *min.* subsumpt. cujus rationem quoad primam partem dist. In mutuo conceditur omnis usus valens tantum quantum res, et cum translatione dominii; conc. Sine hac: neg. et contradistincta secunda parte: In locatione conceditur usus partialis non proprius pecuniae et sine translatione dominii; conc. cum hac; neg. In primo casu periculum sortis est apud mutuatarium; e contra in secundo apud dantem rem locationi.

Obj. 6.º Jus ad pecuniam post unum aut plures annos accipiendam non tantum valet, quantum pecunia praesens. Ergo in mutuo non servatur aequalitas, si non datur aliquid supra sortem. Prob. *antec.* Nullus est qui velit emere centum aureis jus ad centum aureos post quinque aut decem annos. Ergo... *Conseq.* prima prob. In mutuo commutatur praesens summa centum aureorum pro jure ad aequalem summam post unum, duos aut decem annos recipiendam. Ergo... *Confr.* Nullus est etiam sapiens, qui non pluris aestimet ejusmodi summam praesentem, quam jus ad illam post longum tempus habendam. Ergo in mutuo non solum potest, sed debet dari aliquid supra sortem, ut servetur aequalitas, Ergo (1).

Resp. Transeat *antec.* vel *conc.* dummodo comparetur solum jus ad pecuniam, cum pecunia mutuata. Neg. *conseq.* primam. Ad ejus probationem neg. quod in mutuo fiat compensatio pecuniae nunc datae mutuatariorum, cum jure ad eam postea habendam; comparatio fit cum summa in futuro danda, quo tempore tantum valebit, quantum nunc valet pecunia a mutuante data. Ad *confr.* eadem est responsio, quae ad *anteced.*

Obj. 7.º Mutuans obligans se ad carendum pecuniâ sua v. g. hoc anno amittit facultatem ex ea lucrandi hoc anno. Sed redditio sola sortis post annum cum facultate ex ea lucrandi in posterum, non compensat facultatem lucrandi hoc anno. Ergo sola redditio sortis non compensat mutuantes. *Confr.* Qui per annum locat agrum, quem nolebat excolere, juste supra redditionem agri aliquid exigit. Ergo a pari, qui dat pecuniam mutuo, qua nolebat sed poterat lucrari, aliquid supra redditionem sortis juste exigit.

Resp. Neg. *min.* Ut constat ex probationibus; sors enim reddita anno sequenti cum facultate eâ utendi in perpetuum, tantum valet quantum pecunia data hoc anno cum simili facultate. Ad *confr.*: Conc. *antec.* neg. *conseq.* et paritatem. Nam a) Ager non usu consumitur sicut pecunia; unde alius est valor agri, alius valor usus. b) Ager naturaliter fructificat, pecunia non nisi industria utentis, unde fructus ejus non nisi utentis sunt. c) In mutuo transfertur dominium, non in locatione.

(1) Ex Platelli. De just. et jur. a. n. 628.

Inst. poterat lucrari. Ergo saltem pro possibilitate poterit aliquid exigere.

Resp. Dist. *antec.* sola pecuniâ ex vi pecuniae; *neg.* industriâ sua, quam supponimus eum non adhibiturum; *conc.*

Obj. 8.º Fide-jussor potest aliquid exigere a mutuatariorum praecise ratione obligationis, quam in se suscipit pro eo fide-jubendo, quamvis nullum sit damni periculum. Ergo etiam mutuans ratione obligationis non repetendi ante aliquod tempus, cum haec obligatio non sit minus pretio aestimabilis quam illa.

Resp. Neg. *conseq.* Disparitas est quod obligatio fide-jussoris sit digna compensatione et per nihil aliud compensetur quam per id quod ratione illius fide-jussor a debitore exigit, at vero obligatio mutuantis, etiam secluso auctario, compensatur ad aequalitatem per redditionem sortis.

Obj. 9.º Licet aliquid exigere pro obligatione mutuandi in futurum v. g. durante biennio. Ergo etiam pro obligatione non repetendi per biennium, cum hoc ut minimum sit aequae pretio aestimabile ac illud. Ergo...

Resp. Neg. *conseq.* et paritatem. Disparitas est quod alioqui in casu *antecedentis* obligatio pretio aestimabilis distincta a mutuo maneret incompensata, secus in casu *consequentis*. Si tamen aliquis obligaretur ad non repetendum per tempus extraordinarium v. g. triennium, est Salmaticensibus aliisque probabile, posse mutuatores aliquod auctarium accipere; etenim obligatio expectandi per tempus extraordinarium non est intrinseca, sed extrinseca mutuo (1).

Obj. 10.º Est simonia dare mutuum Episcopo pro obtinendo beneficio ecclesiastico: ergo dare mutuum est aliquid pretio aestimabile supra sortem; aliter in casu *antecedentis* non esset simonia; quia non daretur pro re spirituali aliquid pretio aestimabile. Ergo.

Resp. Neg. *conseq.* et dico esse simoniam pro beneficio ecclesiastico dare aliquid temporale ex pacto tamquam debitum ex justitia, sive interim istud temporale sit pretio aestimabile, sive non (2).

SCHOLION I.

De titulis, quibus licet aliquid ultra sortem in mutuo percipere.

99. Dico I. Damnum emergens et lucrum cessans justi sunt tituli aliquid exigendi supra sortem in mutuo.

(1) Bucceroni Inst. Theol. mor. V, 1, n. 1093. — (2) Suar. L. 4, de simon. c. 38, nn. 6-8.